



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXV. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Lupus Lugdunensis Episcopus, ut suæ in Deum ejusque Matrem devotioni uberius vacare posset, eremum subiit; sed quia virtus ejus Sigismundo Regi innotuit, ad sedem Episcopalem vocatus, populum eadem pietatis in Deiparam officia, quibus ipse deditus erat, docuit. *Barri.* Præclarum custodem ovium hunc lupum!

S. Lupe ora pro me Deipram, ut omnes peccandi occasiones sedulus fugiam, bonorum vero operum exercendorum oportunitates apprehendam, itaque operer nunc, ut me in agone nec pudeat vixisse, nec poeniteat. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: cum P. Suarez hodierno die in studiorum meorum dubiis, uti & ante eorum initium à B. V. lumen petam.

Inter divina & humana media mediatrix est Maria; humana supergreditur, dum tam sublimia per Filium operatur. *Rich. Victorinus.*

Quæstio: An Amor Dei in Maria ferventissimus ademerit ei potentiam ad peccandum. *v. Vega Theol. Mar. n. 1292.*